

**1997-08-02- SS Ioannes Paulus II - Epistola ‘Fratri Nostro Francisco Cardinali Kuharic’**

LETTERA DI GIOVANNI PAOLO II ALL'EM.MO CARD. FRANJO KUHARIC, SUO INVIAUTO SPECIALE  
ALLE CELEBRAZIONI CONCLUSIVE DELL'850° ANNIVERSARIO DELL'EREZIONE DELLA DIOCESI  
DI HVAR (CROAZIA, 14 SETTEMBRE 1997)

Venerabili Fratri Nostro FRANCISCO S.R.E. CARDINALI KUHARIC Archiepiscopo emerito Zagrebiensi  
Claram mox aliam anniversariam vitae operaequae Romanae Ecclesiae memoriam tua in Croatiae patria,  
Venerabilis Frater Noster, concelebrare mense Septembri licebit, cum octingentesimus quinquagesimus  
commemorabitur annus, ex quo ecclesialis communitas Pharensis proido nimirum Decessoris Nostri consilio  
condita est solideque constituta. Cum vero iucandas sane colamus populi tui recordationes singulorumque  
gregum, adesse quodammodo ipsi praesentes cupimus Nostraque voce ac salutatione non tantum recreare  
ecclesiam Pharensem, verum universam Croatiae nationem, cui plurima adhuc reddidimus libenter pecularis  
Nostrae benevolentiae testimonia nec non sollicitudinis de ventura ipsius prosperitate et perpetua pace. Sicut  
ergo in omnibus huius generis eventibus facere consuevimus, te ipsum, Venerabilis Frater Noster, Missum  
Extraordinarium Phari adsistere censemus sollemnibus eiusdem commemorationis postremisque conclusionis  
ritibus, die decimo quarto mensis Septembribus. Nostram ideo personam gerens et Nostris pariter sensibus  
sententiisque usus gratulaberis ecclesiae Pharensi tot floris et vigoris catholici saecula; consolatoriam pro Nobis  
salutationem pronuntiabis; eventum ipsum memorabilem extollens adhortaberis ad fidelitatem similiter  
perennemque fidei et pietatis renovationem. Denique Apostolicam Nostram Benedictionem copiosorum posthac  
caelestium donorum auspicem, cum adstantibus pastoribus et religiosis et christifidelibus communicabis. Dum  
iam nunc de eiusdem celebrationis anniversariae utilitate spiritali ac salubritate in hominum salutem aeternam  
gaudemus, te fraterno animo admonemus ut haec cuncta tibi sic fidenter a Nobis credita officia accuratissime  
expleas sciasque Nos tecum illo tempore cumque tota communitate Pharensi coniunctum iri gratias omnium  
bonorum Largitori divino reddentes, pro dioecesi Pharensi posterum in saeculum pie precantes.

Ex Aedibus Vaticanis, die II mensis Augusti, anno MCMXCVII, Pontificatus Nostri undevicesimo.

IOANNES PAULUS II